

Obstupesceram dum legi de Insectis Tuis rarissimis; certe nisi senium me occupasset, libenter Tui caussa, et ut hos viderem thesauros, Haffniam ipse adirem; sed vetant fata.

Non dum misit D. Ferber Ichthyologiam aut dona Tua aurea Insectorum, quæ quotidie avidissime exspecto.

Scripsisti quondam Te concessurum locum in splendidissimo Tuo museo iconi e gypso, de quo quæsivi Holmiæ, sed non obtinui; si accedas, poteris et hanc et Swabii obtinere, quas idem elaboravit juvenis.

Miror maxime quænam sit ista *Falkia tetraspis*? *Salicorniam foliacescentem* habeo inter meas siccas, sed non ausus fui dubius eam proponere. *Cheiranthus tataricus* ane *Cheiranthus salinus*?

Quid fiet de splendido horto vestro Hafniensi? an in cassum ruat? hoc dolerem maxime. Quo se vertat D. Zoega? Quid agit D. Fabricius? Oro describas et me certiolem facias, quum soles tam vivide et facile omnia narrare.

Ego dum vixero Tuus permanebo cultor sincerus.

Upsaliæ 1770 d. 4 Septembris.

Princeps noster non tam cito accedat.

Viro amplissimo D. Martin. Brunnichio Professore Haffniens. p.

frij br.

Copenhagen

(8) Viro Celeberrimo
D. D^{no} Brunnichio
Profess. publ. Haffniensi
s. pl. d.

Car. a Linné

Nuper incepti reconalescere a diro morbo, sub quo per D. Ferber accepi librum Tuum de Piscibus Massiliensibus, certe pulcherrimum, acutissimum.

Primum meum fuit et quidem antequam e lecto exurgere valerem, systemati meo inserere Tuos pisces, quo majus solatium mihi fuit nullum. Utinam plures haberemus Brunnichios, et brevi Historia animalium absolveretur.